



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1663

S. Mechtildis V. 29. Martij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41940

29. Mart. VITÆ SANCTORUM. 207
suum licet. Et tulit ille opera pretium
suæ, non item Agrestinus, homo teme-
rarius ac vafer, nihilque monachi præter
nomen vestemque præ se ferens. Hic ma-
lus in eum diem discipulus, religionis
tamen magisterium affectavit, & cum
minus ex sententiâ cederet, institit ma-
gistrum EUSTASIUM totumque Co-
lumbani gregem calumniis petere, eam-
que in rem socios cogere. Sed ex his a-
liis lupus, aliis fulmen, morbus aliis,
ipsi Agrestino silentium securis imposuit
à servulo impacta; cum eum non multo
antè accusatorem expertus EUSTASIUS,
ad divinum tribunal vocasset. Secutus hic
paulò post, prævisâ (quò minus timeret)
morte, rectius accusaturus Magister dis-
cipulum ingratum. Ex Suario.

*O si velimus omnem mentis nostræ para-
lysin pervidere, animam nostram virtuti-
bus destitutam jacere in vitiorum stratis
videremus: luceret nobis quemadmodum
Christus & nostras quotidie maximas res-
picit voluntates, & ad salutaria nos re-
media pertrahit & perurget invitos.*
S. Pet. Chryf. serm. 50.

S. MECHTILDIS V. 29. Martij.

Ceras alii avitas in MECHTILDE eas-
que Principum & Imperatorum nu-
merant; at nos virtutes, quas si non
omnes enumerare poterimus, aliquas
certè

208 VITÆ SANCTORUM. 29. *Mari.*
certè advocabimus. Et primò quidem,
quod ferè amat in illustribus puellis fieri,
in cunis desponsa videtur, sed nimirum
Christo. Certè quinto ætatis anno è pa-
rentis in *Dei* abiit Parthenonem, qui
Dießæ tunc fuit. Ab hominis thalamo
quàm abhorruerit, inde æstimes, quòd
omni lecto abstinerit, carnem quàm
oderit carnisque illecebras, inde, quòd ab
hâc semper, dum vixit, abstinerit; sed
nec vinum admiserit unquam, nisi Ratis-
ponæ ex aquâ factum; si tamen id vinum
fuit & non nectar potiùs, quòd cælum
inuitæ tertio tunc miscuit. Jam virginem
adultam illam, sed elinguem, & ab orco
obsessam unâ operâ & linguæ vinculis &
obsidione tam gravi liberavit. Plura alia
mira, quæ vel cum Antistita esset Edel-
stetta in Sueviâ, vel Dießæ (nam huc sub
vitæ finem rediit) à morte ipsius sunt
prodita, quòd morbos reducees non si-
lentibus minaretur. Capilli domortuæ
fulmina exarmarunt. Pagum Diengen-
sem cum dotem monasterio impetrasset,
partem reddituum devovit sanctioribus
panibus pensendis, qui sacrificantium u-
sui cederent. Atque hoc est credo, cur ul-
timum ægrotanti solatia è cælo tulit VI-
GO MARNA, & cibum divinum Angeli
ministrarunt. quando nec epulum, nec
epuli spectacula, nec structores, nec con-
vivæ nobiliores potuerunt esse. *Ex tom. 4.
ant. lect. Canisii.*

Con-

Confitere peccatum, ut Christi possis venire ad mensam, ut sit tibi panis Christus, & panis ipse frangatur in tuorum veniam peccatorum: ut fiat tibi poculum Christus, qui in tuorum delictorum remissionem funditur. Agnosce te peccatorem, ut tecum prandeat Christus. S. Pet. Chryf. serm. 30.

S. REGULUS EPISC. 30. Martij.

Iter in Gallias D. Dionysio cum gemino comite in stituenti tertius comes REGULUS accessit, non infelicibus auspiciis. Etenim cum illi sanguine suo sterile etiamnum solum rigassent, inter divina REGULUS ejus rei nuntias ternas columbas habuit, quæ singulæ singulorum Martyrum nomina in scheda ferebant descripta. His ille auspiciis fretus bellum omni superstitioni indixit, templa passim Deorum evertit, DEO posuit. Cum ex humano hospitio Stygis incolam exigeret, voluit hic in mulum REGULI migrare. Atquò virtutem crucis vel ab hoc magistro docerentur nostri hæretici, mulus pede priore in pulvere crucem scripsit, itaque longè hostem proscrispit. Divus verò, qui aditum hunc orco negavit, exitum è carceribus Christianis facile indulsit. Nam cum permulti inter vincula agerent, REGULUS scipione clavis vicem usus, ostium

O. pul-